

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1749)
Heft: 14

Buchbesprechung: Nova literaria

Autor: [s.n.]

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 29.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

NOVA LITERARIA.

TURICUM. Dedit nobis Vir pl. Reverendus J. R. ZIEGLERUS, *Ludi Carolini Provisor*, novam Sylloges utilissimæ, quam Amicorum quorundam opera non ita pridem feliciter instituit, Sectionem, quæ typis Orellianis exscripta prodiit sub hac epigraphæ: **Die neueste Sammlungen vermischter Schriften. Zweytes Stük. Zürich. 1749. 8. pl. 10.** Argumenta hac Sectione explicata hæc sunt: 1.) *Herrn J. H. Hottingers, S. Th. D. und Prof Reform. prim. zu Heydelberg Theologisches Bedenken, betreffend die Frage: Ob ein Wiedergebahrner ganz und gar nicht mehr sündigen könne, wider Joh. Christian Edelmann.* 2.) *Alex. Popens allgemeines Gebätt von Herrn von Hagedorn übersezt, mit critischen Anmerkungen.* 3.) *Von Hagedorn Wünsche in einem Schreiben an einen Freund.* 4.) *Poetische Betrachtung der Zeit von L. F. A. Dilthey.* 5.) *Horazische Ode Herrn U. von Salis aus Bündten an Herrn Iselin in Basel.* 6.) *Die zuversichtigen Finken.* 7.) *Auf den Damis.* 8.) *Beschreibung der Fürstlich-Oesterreichischen Begräbniß-Kruste zu Königsfelden.* 9.) *Aufschrift in dem Schloß zu Regenspurg, als eine Probe der vor anderthalbhundert Jahren und vorher üblichen Reimkunst.* 10.) *Characterisierung der verschiedenen Arten eines Pedanten*
und

und Petitmaitre; oder eines Stuzers und Schulfuchses. 11.) Einiche Stüke der Sittengemählde von la Bruyere, deutsch nachgezeichnet von Schultheß. 12.) Auszüge aus dem Journal Helvetique de Neufchatel. 13.) Fortsetzung allerhand Einfälle zur Belustigung und Erbauung. Neque abs re fuerit hic monuisse proflare apud eundem Orellium integra exempla der Sammlung alter und neuer Merkwürdigkeiten, in 8. Stüken.

2. Ipsa S. Johannis feria ex Officina Heideggeriana in lucem prodiit: THEOLOGIA PARACLETICA, oder die Lehre vom Kreuz der Kinder Gottes, nach Anleitung des XI. Cap. des Evang. Johannis, und anderer dahin einschlagenden Texten, in einigen Diensttags-Predigten vorgetragen von Joh. Caspar Ulrich; Pfarrer zum Frau-Münster. Zürich. 1749. in 4. Paracletica hæc doctrina in tres partes distincta est: 1. Versatur circa expositionem Cap. XI. Evang. Joannis. 2. Circa tractationem Cap. XII. Eccles. Salomonis atque præcipue Senectutis incommoda expendit. 3. Denique malorum omnium, quibus pii in hac vita premuntur, finem & exitum lætum & cum Salute conjunctum ostendit, secundum 1. Epist. Joh. II: 25. atque XI Sermonibus fidelium animos certa immortalitatis ac vitæ beatæ spe erigit.

3. Apud Heideggerum & Socc. prostant: **Beyträge zur Erläuterung der Kirchen-Reformations-Geschichten des Schweizerlandes. 2c.**
Herz

Herausgegeben von JOH. COX. SUES.
 LXX. IVter Theil. 8. pl. Continentur hac
 Sectione sequentia 1.) Ein kurzer Begriff, wie
 der Schultheiß und die Gemeind des Dorfs
 FRIDHUSEN auf dem GNADEN-
 BERG gemeinlich erkannt und erwählt ha-
 ben einen Schöffel ihres Dorfs, mit Na-
 men HANS KRUCHEL, daß derselbige
 anstatt ihres Pfarrers solle verkündigen und
 predigen die evangelische Lehre, und den Weg
 der Seligkeit bis zu der Zukunft ihres Pfar-
 rers. Satyricum hoc Scriptum est circa tempora
 Reformationis editum, atque historiam memorat
 facetam simul & utilem, quæ in Utopia olim ac-
 cidit, in cujus regionis tabula etiam quærenda
 sunt Mons Gnadenberg & villa Fridhusen.
 2.) BERNHARD WEJSSER Kurze
 Beschreibung der Glaubens-Änderung in
 dem Schweizerland. Pauca habet hoc Chroni-
 con, quæ non apud alios, inprimis etiam apud
Bullingerum, accuratius multo perscripta legan-
 tur. Et quanquam de Autoris studio in Zuingli-
 um & Reformationem dubium nullum sit, ea ta-
 men stili, quo utitur, incondita libertas est, ut
 periculum sit, ne infesti Religionis hostes inde no-
 vam calumniandi materiem arripiant. Notum
 enim est, Zuinglio v. g. jam olim ab hostibus ni-
 mium Musices studium fuisse crimini datum, qua-
 si illa ut voluptatis administra potius, quam stu-
 diorum & laborum levamine fuerit abusus. Ita
 quum memorat Wyssius, Zwingli aß und tranck
 mit allen Menschen, die ihn luden, verachtete
 nie

niemand's : . . . Hinterm Wein richtete er diese Ding nicht aus. 2c. quorsum sint interpretaturi admodum proclive est conijcere. Similiter quando plurima Ecclesiæ Ministrorum exempla, qui matrimonii copulam publice contraxerunt, in unum colligit, quin ejus narratio offensionis pluribus sit futura, qui cœlibatus superiorum temporum profusam intemperantiam, & hujus consilii rationes non satis habent perspectas, vix dubium superest. 3) **Sammlung einiger alten Urkunden, welche die Geschichten der Kirchen. Reformation des Schweizerlandes aufklären.** Hic plurimæ repræsentantur Epistolæ Hugonis (de Landenberg) Episcopi Constantiensis, quibus Turicensium circa Sacrorum emendationem studia & molimina intervertere, suaque jura asserere laborat: quibus in fine adjicitur S. Cæs. M. Edictum de suspendenda Religionis mutatione. Possem hic quædam de Hugone Episcopo Const. haud injucunda forte aspergere; sed cum aliud quid occurrat, quod propius ad hæc documenta pertinet, malo hæc in præsentiarum omittere. Extat nimirum in his documentis sub n. XX. Epistola Hugonis Episc. Const. ad Senatum Tigurinum, quæ agit de *Urbano Wyssio*, Sacerdote in *Fislibach*, qui ab Episcopo captivus detinebatur. Incidit autem in manus meas Epistola H. ZUINGLII ad hunc Veritatis Confessorem sub hoc ipsum tempus captivitatis exarata, quæ digna est, ut hic adtextatur:

URBANO WYSS,

Captivo Christi Confessori in Gottlieben.

„ S. Mox ut nuper scripseram reddebat me
 „ quidam rerum tuarum certio-rem , ut putabat ,
 „ quod jam per concepta verba revocasses hoc ,
 „ quod per Christi Spiritum recte sentis: Quæ me
 „ res vehementer contristabat , donec petitionis
 „ tuæ ad Vicarium missæ copiam abs te accipe-
 „ rem. Ibi sensi eum , qui me paulo ante certio-
 „ rem fecerat , per quosdam fuisse deceptum ,
 „ qui & ipsi rem non ex amissi perspectam ha-
 „ buissent. Didici ex hac copia , te laturum
 „ fuisse , si Vicarius quacunque tandem ratione
 „ te liberasset : Quod equidem vehementer sum
 „ admiratus , non tam quod te Christus mergi
 „ paulisper passus esset , (nam Petrum se abju-
 „ rantem restituit,) quam quod eis, qui Evange-
 „ lion Christi pessimis artibus, immo apertissimis
 „ mendaciis oppugnant , hanc gloriam cederes ,
 „ ut de te ac per te apud filios hujus sæculi tri-
 „ umpharent. Qui quam impudenter essent glo-
 „ riaturi, hinc patet, quod jam infecta re a Ti-
 „ guro solventes passim jactitarunt, quam nos
 „ magnifice vicerint, qui tamen haud magis vi-
 „ cerunt, quam hydra Herculem. Proinde con-
 „ stans esto, quod vere credis ad mortem usque
 „ profiteri: *Qui enim usque in finem perseveraverit,*
 „ *hic salvus erit.* Agunt amici omnes diligenter
 „ causam tuam; spero autem & Senatum Tigu-
 „ rinum in diem magis ac magis fauturum. Tu
 „ interea dura: Apparebunt quorundam brevi
 „ mendacia. Episcopus Constantiensis scripsit,
 Tom. IV. X ad

„ ad Senatum te Scriptura S. victum cessisse :
 „ Scripsit etiam neque ignem , neque perpetuos
 „ carceres tibi unquam intentatos fuisse . Tu ve-
 „ ro ista , si facta sunt , cave facta esse neges :
 „ nam & Vicarius Constantiensis dum apud nos
 „ esset , dixit coram Senatu palam , se apud te
 „ invenisse scelestissimam tum conpirationem ,
 „ tum conjurationem . Unde nostris facile fiet
 „ manifestum , dum negotium tuum tractabi-
 „ mus , non nihil istius sceleris perluxisse . Negat
 „ item Episcopus quicquam , quod ad me adtineat
 „ nomenque meum , tentatum esse a suis : Forte
 „ tamen fieri potest , ut clam eo rabulæ isti ali-
 „ quid consilii cœperint . Verum tu persta , ne
 „ nega quæ fidis amicis ipse dixisti : ea tuæ libe-
 „ rationis est aptissima occasio . Plura nunc scri-
 „ bere nec locus est , nec tempus , ita me di-
 „ strahunt negotia , tum finienda , ut arbitror ,
 „ cum dissolvam : Omnia tamen possum in eo
 „ qui me confortat . Vale & Christianum pectus
 „ te habere tolerantia & constantia proba . Ora
 „ Deum per Christum , ut te labi non sinat ,
 „ aut inferorum portis cedere . Ecclesia nostra
 „ pro te orat . Servet te Christus incolumem . Ex
 „ Tiguro . 24. die Febr. MDXXIII . Salvum dic
 „ nostro nomine *Martinum Luchsingerum* , mili-
 „ tem de Clarona , qui apud vos est in præsidio . ,,
 4.) Auszug aus **GEORG VOGEL'S**
 ungedruckter Reformationshistorie der Stadt
 Costniz. Erster Versuch. Lectu dignissima est,
 quam hic nobis Rever. horum Actorum Collector
 per epitomen exhibet Reformationis Ecclesiæ Con-
 stantiensis historia ; eamque ut continuare velit,
 sollicite rogamus. Erat autem hujus Chronici Au-
 tor

tor *Georgius Vægelinus* strenuus veritatis defensor, qui non veritus est publico scripto Reformationi faventes Ecclesiæ Constantiensis Ministros adversus hostium calumnias defendere. Est mihi ad manus ejusmodi scriptum, quod hunc Autorem agnoscit d. 20. Febr. 1524. editum sub titulo: Schirmred eines Layeschen Burgers zu Costanz wider den Pfarrer zu Ueberlingen der ohne Grund der Schrift etlich Constanzisch Prediger, und in dem ihre Zuhörer, öffentlich gescholten hat: Darinnen die Artikel wider den Helffer zu St. Stephan geklagt, so viel er deren geprediget hat, aus Heil. Schrift bewiesen werden. 5.) Mandat, welches von einem ehrsamem Rath der Stadt Basel, gegen des Bischoffs *Vicarius*, den *Rector* und die Regenten der Universität daselbst, als sie die hierinnen gefasste Artikel zu disputieren, und allen den Ihrigen anzuhören verboten hatten, ausgegeben worden. An. 1524. In hujus Edicti editione ad nostram loquendi consuetudinem nonnihil castigata, quædam omissa, quædam etiam perperam tradita animadverto: v. c. p. 244. simpliciter dicitur: Die aber stets durch die Obern, den Rector und die Regenten der Universität . . . verhindert worden sind: Cum in Originali ita habeant: die aber stetigs durch die Obern, Rector und Regenten der Universität . . . ihre schwere Mandaten und besonder wider die Eingeleibten und Anhänger der Universität, greulich, wie dann dieselben ihre ungegründet ausgestreute Mandat anzeigen, verhindert. Pag. ead. Diweil

wir nun diese seine ausgesetzte Artikel nicht un-
 zimlich, sondern den Evangelien gemäß
 • • befunden haben. In Originali ita legitur:
 Dieweil wir nun solche seine fürgesetzte Artikel,
 die wir nit unzimlich, dem Evangelion etwas
 gemäß • • befunden. Ita pag. 248. Articulus
 III. in authentico Scripto ita habet: Es ist
 frembd von dem evangelischen Liecht, daß man
 heldt nach jüdischer Gewohnheit, Unterschei-
 dung der Kleider, und der Speisen, und der
 Ceremonien: ubi illud heldt *propendeant homi-
 nes ad*, in hält *mutatum sensum nonnihil obscurat*.
 Vitiosum autem est quod legitur pag. ead. Artic. IV.
 Ja man sollte mit allem Fleiß unterstehen, daß
 alle Ding zur Reinigkeit gebracht würden.
 lege zu Einigkeit. Denique p. 250. Artic 13. in
 Scripto authentico ita conceptus est: Wir sollen
 Sorg han, daß uns Christus anscheyn, durch
 welches Krafft, und nit durch die Gestirn und
 ander Elementen Herrschung, alle Ding wer-
 den geregert. *Summam vero hujus Articuli*
Ancillon la vie de G. Farell p. 44. ita effert: Que
toutes choses dependent non de l'Influence des Astres,
ni des qualitez des Elements, mais de la Providen-
ce de Dieu. In nova vero translatione isthæc Sen-
 tentia, nonnisi accessoriam propositionem consti-
 tuit. Equidem Reverendus horum Actorum Edi-
 tor in sua Præfatione ad hunc articulum varias vi-
 tæ Farelli particulas sub examen revocat, atque in
 plurimis *Baylium*, & quos iste excitavit auctores,
 sequitur. Notum est Virum Rever. *Ancillonium*
 in *Idea fidelis Jesu Christi Ministri* sub *Guill. FA-*
RELLI

RELLI exemplo proposita, Amsterodami 1691. edita laudare passim p. 65. p. 98. p. 110. p. 202. accuratum aliquod *Diarium* memoriæ ac rerum a Favello gestarum *αὐθένδορον*, quo ipse usus fuerit. Quandoquidem vero hoc ipsum MSC. *αὐθένδορον* forte fortuna ad manus meas pervenit, historiam vitæ factorumque Favelli accuratius multo ac plenius cognoscere datum fuit, simulque quantum subinde Rever. horum Actorum editor, conjecturis nimium indulgendo, a veritate historica aberraverit: cujus rei unicum hoc exemplum prodicam: Præfationis p. XXX. hæc leguntur: Die Lebens-Beschreibung Favells, welche Ancillon zum Verfasser hat, meldet Bl. 197. er war zu Zürich von Zwinglin, zu Bern von Haller, und zu Basel von Decolampad wol aufgenommen worden. Dieses ist nicht zu verstehen, als wann er bey allen diesen Männern persönlich gewesen war, sondern daß sie ihn mit ihren Zuschriften beehret, und ihm mit Rath beigestanden seyen. Hanc autem Clariss. Füslini *παρεμνησεων* refellit *Diarium nostrum* MSC. cujus hæc sunt verba: Arrivé qu'il fut à Strasbourg il y racontra deux excellens personnages, Pasteurs de la ville, Wolfgang Capito & Martin Bucer, auxquels d'entrée se fist cognoistre, & captiva tellement leur bienveillance, que sur le tesmogniages de pieté, courage, zele & suffisance, lesquels il leur fist recevoir pour leur estre joint en l'œuvre du Seigneur, il luy donnerent la main d'association & contracterent par ensemble une amitié si sincere & sainte, que jusques à leur mort ils ont nourris par lettres une communication des sentiments, avis, conseils, sur tous incidens d'affaires concernant la

Religion. Et chose notable en passant , qu'il y a toutes les apparences , que Bucer avoit l'ame bien estroitement liée à Farel , puisqu'aujourd'hui se trouve un paquet de Lettres escrites à Bucer par Zuingeli , Oecolampade , Pellican & Blaarer , & autres excellens & doctes personages , parmi ses escrits , qui sans doute luy avoyent esté confiés en ami , pour causes incognies. De Strasbourg ayant faict dessein de passer jusqu'en Suisse , s'emboucher & conférer aussi en particulier avec les trois excellents & fameux Serviteurs de Dieu & Reformateurs , Zuingle de Zurich , Haller de Berne , & Oecolampade de Basle. Il les alla visiter tous en particulier , & fust receu humainement d'eux , honoré & confirmé puissamment dans ses pieux desseins & resolutions à se porter à la propagation de la doctrine evangelique par tout ou une legitime vocation l'adresseroit : Et entre les trois villes ayant Basle pour son sejour express , affin de pouvoir avoir des entretiens & communications familiares avec Oecolampades & autres doctes personages , entre lesquels estoit Conrad Pellican de l'ordre des Cordeliers & d'un savoir profond en la Langue hebraique & vivant avec une saintete & modestie particuliere. Errat etiam in eo Rever. horum Actorum collector , quum pag. XLVII. Præf. non cunctanter perhibet , istud Diarium rerum ad Farellum pertinentium , quo Ancillonius se usum esse profitetur , ab ipso Farello contextum , atque etiam ipsa ejus manu fuisse exaratum ; adeoque etiam tota illa , quam ex hac fictione extruit argumentatio , non satis firmo innititur talo. Cæterum quoniam de ratione atque Successu hujus Disputationis Farellianæ parum constet , non prætermittendus est locus , qui extat in Farelli ad Calvinum Epistola , quæ numero XLIX. est p. m. 107.

m. 107. *Quod scribit, se admonitum ne tam præcise nobiscum ageret: Scil. Carolus erat quem timeremus? & aliquis aliquando metus nos tenuit ne vinceremur? Basileæ, ubi erat Erasmus, Berus, Zicardus, Cantiancula; theologi illi, ut hi Jurisperiti, in arenam descendimus & sustinuimus argumenta non levia nostrorum, ut Oecolampadii, Pellicani. Sed Scripturis ita erant roborata omnia, ut ne minimum quidem convellere potuerint.* 6.) **Vierte Sammlung einiger alten Urkunden, welche den Ursprung und die Absichten der Wiedertäufer des Schweizerlandes entdecken.** Acta cum Anabaptistis publica, quominus seorsim, neque ad certum usum revocata, publicæ luci permittantur, videntur prudentiæ Leges intercedere. Quod autem Rever. horum Actorum Collector in Præf. ad hunc articulum p. LVI. b. ZUINGLIO inadvertentiæ culpam exprobrat, in eo parum videtur affectus Zuinglii argumentationem: Non enim potuit ignorare Zuinglius qui interdum fiat, ut Secta aliqua adversus suos asseclas in ignoscendo indulgentior sit: Sed hoc tamen mirum est, Georgium illum de domo Jacob libertatem e vinculis præstito adversus conscientiam jurejurando redemisse. Cæterum quæ de SERVETO adjicit Rever. Actorum Collector, quanquam admodum probabile sit, quod ipse in vinculis professus est, *qu'il a toujours reprouvé & reprouve les Anabaptistes*: æque tamen certum est, ipsum verum Anabaptismum docuisse; ita enim *Restitut. Christianism. p. 491. A Pædobaptistis sine fide, sine intellectu, extra Ecclesiam Christi baptizati, sunt iterum in Fide*

Christi & ejus Ecclesia baptizandi. 7.) **Heinrich Bullingers Schuz: Schrift wider des Wienerischen Bischofs Johannes Trost. Büchlein, welches er von dem wunderlichen neuerlangten Sieg herausgegeben An. 1532.** Dignus oppido iste libellus est, quem e pulvere excitatum ad fidem editionis Froschouerianæ publici juris faceret Rever. horum Actorum conditor. Sed longe alia ratio est illius appendicis, quem idem Prologo suo subjicere voluit, & quo causæ suæ nonnihil interesse putavit, ut doceret, quo tempore, quave occasione, singula Calvinii de Prædestinatione scripta in lucem fuerint edita: Novum enim documentum exhibuit, quam proclivis sit ad judicandum ac statuendum de rebus parum cognitis, nobisque quasi necessitatem imposuit, eum de parachronismo seu hallucinatione circa postremi *de Occulta Dei Providentia* libelli editionem monendi: Etenim confidenter affirmat Libellum illum de occulta *æterna Dei Providentia adversus nebulonis cujusdam calumnias*, primum fuisse publicatum an. 1554. in quo Viro Rever. imposuit Index Scriptorum, qui *Calvini Tractatibus Theol.* a Beza præfixus est, quique hunc annum per errorem typographicum præfert: Si enim ipsum Libellum, in quo nunc totum causæ suæ præsidium positum esse venditat, inter Calvinii Tractatus Theol. diligentius & accuratius inspexisset, non potuisset non hunc errorem typographicum animadvertere: ita enim concluditur adjecta etiam temporis nota: *Compescat te Deus, Satan. Amen. Genevæ. Nonis Januarii. M. D. LVIII.* Quod vero Calvinii Libellum *de æterna Dei Prædestinatione*, consensu Pastorum Genevensis Ecclesiæ confir-

confirmatum adtinet, is quidem, ut recte observatum est, an. 1551. præcipite lucem vidit, atque Hieronymus Bolsecus ei scribendo occasionem præbuit. Quandoquidem vero Rev. hujus Prologi Autor p. LXXII. negat sibi cognitum esse, quid Ecclesiarum Helveticarum Ministri de hac Hieronymi causa consulti responderint, operæ pretium me facturum confido, si hoc loco Bernensis Ecclesiæ Literas ad Pastores & Professores Genevenses adjungam, quæ ita habent:

„ Gratiam & Pacem a Domino, &c. Condo-
 „ lemus Ecclesiæ vestræ, Domini ac Fratres plu-
 „ rimum observandi, propter offendiculum diffi-
 „ dii, quod per spiritum contentionis nuper apud
 „ vos est, in turbulentis alioqui & plus æquo
 „ afflictis hisce Ecclesiarum Christi rebus, excita-
 „ tum, quod nobis significandum, & tenuita-
 „ tis nostræ sententiam de hoc requirendam esse
 „ duxistis, ut Hieronymus ille, quem turbas al-
 „ tercationum insyncero dogmate suo in Ecclesia
 „ vestra movisse scribitis, eo facilius ad concilia-
 „ tionem & consensum induci possit. Qua in re
 „ studium vestrum probamus, quod dissidia do-
 „ ctrinæ in Ecclesia Christi haud ferenda esse judi-
 „ catis, & de tollendis illis, non solum cum ve-
 „ stris, quos tamen habetis doctissimos, sed &
 „ cum aliarum Ecclesiarum Ministris consultatis.
 „ Quid enim minus ferendum est, quam Eccle-
 „ siæ Christi in causa veræ Religionis ac doctri-
 „ næ pacatæ turbatio? Rursus, quid hoc nostro
 „ sæculo, tam multarum opinionum feraci, pro-
 „ clivius est, quam ut subinde exoriantur pere-
 „ grinorum dogmatum auctores? Quare non

„ immerito a fidei Christi Ministris requiritur, ut
 „ pro grege sibi commisso vigiles servent custo-
 „ dias. Illud tamen etiam atque etiam videndum
 „ esse sentimus, ne quid severius statuatur in er-
 „ rantes, ne, dum dogmatum puritatem immo-
 „ deratus vindicamus, a regula Spiritus Christi
 „ deficiamus, hoc est, charitatem fraternam, un-
 „ de Discipuli Christi censetur, ad sinistram de-
 „ clinantes, transgrediamur. Amica Christo ve-
 „ ritas, sed amicæ quoque sunt Christo ovium
 „ ipsius animæ, non modo in veritate sine of-
 „ fensione ambulantes, sed & per devia errantes;
 „ imo harum curam, juxta parabolam Evange-
 „ licam, impensiolem optimus Pastor gerit. Sci-
 „ tis hoc ipsi. Non docemus ignorantes, sed
 „ admonemus scientes. Sic comparati plærum-
 „ que sumus, ut dum summo studio veritatem
 „ doctrinæ Christi tuemur, id quod in hujusmo-
 „ di dogmatum diffidiis usu venire solet, minus
 „ observemus quid Spiritus charitatis ac Christia-
 „ næ mansuetudinis requirat, sed fervore ac stu-
 „ dio retinendæ veritatis in diversum ab eo quod
 „ discipulos Christi decet abripiamur, quasi stu-
 „ dium servandæ charitatis cum zelo veritatis
 „ consistere nequeat, cum utriusque conjunctio
 „ ex ipsissimo Christi spiritu nascatur, quo ut
 „ nihil est a mendacio alienius, ita nihil est etiam
 „ charitati atque mansuetudini addictius. Lauda-
 „ mus in vobis retinendæ veritatis studium, ora-
 „ musque Deum, ut quemadmodum vos in ve-
 „ ritate sua sanctificavit, ita in illa ad finem us-
 „ que, cum vestro, tum aliorum multorum bo-
 „ no, contra omnis mendacii principem, illiba-
 „ tos conservet. Simul tamen obsecramus, ut
 „ co-

„ cogitetis , quam sit proclive ad errandum ho-
 „ minis ingenium , rursus quam sit generosum ,
 „ ideoque facilius ut quis in ordinem mansuetudine
 „ spiritus reducatur , quam severitate trahatur. Et
 „ ut ad causam veniamus , de qua inter Vos &
 „ Hieronymum orta est contentio , clam vobis
 „ non est , quam multis illa bonis viris negotium
 „ fecerit , de quibus alias non adeo male sentiri
 „ potest ; qui , dum legunt in S. Scripturis eas
 „ sententias , quæ gratiam Dei universaliter erga
 „ quosvis deprædicant , tanto non sunt iudicio
 „ præditi , ut divinæ electionis ac prædestinatio-
 „ nis veneranda mysteria , deinde & humanæ
 „ mentis cœcitatem ac depravationem rite intue-
 „ antur & agnoscant , sed hærent in prædicatione
 „ universalis gratiæ ac bonitatis Dei , sentiunt-
 „ que non posse Deo tribui , quod quemquam
 „ mortalium reprobet , induret , & excœcet , nisi
 „ cum inferenda blasphemia dicturi simus , esse
 „ illum simul & cæcitatibus & perditionis humanæ ,
 „ adeoque & omnium quæ admittuntur peccato-
 „ rum authorem. Sic retinent hos locos ; *quid*
 „ *tibi facere debui , quod non feci ?* Et , *Tota die*
 „ *expandi manus meas ad populum non credentem , sed*
 „ *contradicentem mihi.* Et , *Utinam populus meus*
 „ *audisset , & in viis meis ambulasset.* Et , *Quoties*
 „ *volui congregare filios tuos , & noluisti , Et Vos*
 „ *semper Spiritui sancto resististis.* Et , *Perditio tua*
 „ *ex te , Israël.* Et , Ezech. XXXIII. *Nolo mor-*
 „ *tem peccatoris , sed ut convertatur & vivat.* Et
 „ Matth. XI. *Venite ad me omnes , & ego reficiam*
 „ *vos.* Et Joann. III. *Sic Deus dilexit mundum ,*
 „ *ut filium suum unigenitum daret , ut omnis qui cre-*
 „ *dit in eum non pereat , sed habeat vitam æternam.*

„ Et Rom. III. *Justitia Dei in omnes, & super*
 „ *omnes, qui credunt.* Et Cap. X. *Idem Dominus*
 „ *omnium, dives in omnes qui invocant eum.* Et
 „ *non est acceptio personarum apud Deum.* Et Cap. XI.
 „ *Conclufit Deus omnia sub peccato, ut omnium mife-*
 „ *reatur.* Et I. Tim. II. *Qui vult omnes homines sal-*
 „ *vos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et 2.
 „ Petr. III. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos*
 „ *perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hujus-
 „ modi ſententiis ſic inhærent plærîque non adeo
 „ mali viri, ut interea cauſſam prædeſtinationis
 „ divinæ puris fidei oculis intueri nequeant. De
 „ qua non fruſtra monuerunt quidam, ob id cau-
 „ tius eſſe, atque circumſpectius dicendum, quod
 „ ſit illa non lac infantium, ſed cibus adultorum.
 „ Et hic Hieronymus ſatis declarat eſſe ſe ex im-
 „ becillioribus, dum ſe in arcanum conſilium
 „ Dei ingreſſurum negat. Admonemus iſta, non
 „ eam ob cauſſam, quod aliena ſint a veſtra ip-
 „ ſorum conſcientia, ſed quoniam ſententiam
 „ noſtram requirere voluiſtis, ut tanquam fideles
 „ in domo Dei, afferamus in medium, quod
 „ potiffimum ad pacem & ædificationem Eccleſiæ
 „ veſtræ, deinde & ad Hieronymi illius mentem
 „ ad ſpiritum conſenſionis inducendam, facere
 „ poſſe judicamus. Eſt nobis ille prorfus igno-
 „ tus; ſunt tamen qui prædicant eum non eſſe
 „ virum adeo malum. Optaremus & vobis & il-
 „ li, ut per ſpiritum Chriſti vera & ſententiarum
 „ & affectuum conſenſione conjungeremini. Vide-
 „ tur in illius reſponſis, quæ miſiſtis, haud adeo
 „ exigui eſſe momenti, quod primum tribuit
 „ Deo electionem ex hominibus, deinde eorum
 „ quos voluit, tertio in Chriſto, quarto nullius
 „ noſtri

„ nostri boni , sed meræ suæ gratiæ respectu ;
 „ Præterea , opus esse speciali gratia & attractio-
 „ ne ad credendum ; & Deum per Christum re-
 „ formare mentes hominum , & dare corda car-
 „ nea , amareque nos ac fidem dare , priusquam
 „ a nobis ametur , idque ex paterna misericordia.
 „ Per hæc veluti principia , si abesset studium con-
 „ tendendi , facilis esset ad ulteriora transitus. Sed
 „ orandus est Dominus , qui solus aperit mentes
 „ Mortalium , ut & vobis animum det lucrifaci-
 „ endis errantibus indefinenter deditum , & illius
 „ mentem ad id instituti reddat accommodam ,
 „ quo , uno corde & spiritu , gloriam gratiæ
 „ ipsius ad multorum ædificationem deprædicetis.
 „ Quæ scripsimus boni consulite , Domini & Fra-
 „ tres colendi. Commendamus nos & Ecclesias
 „ nostras charitatis vestræ precibus. , Datæ Bernæ ,
 „ 7. Decemb. ann. Dom. 1551.

*Ministri Verbi & Professores Ecclesiæ BERNENSIS,
 in fide ac veritate Christi consortes :*

F I N I S.



22 nostri boni, sed mere luce gratia respicere;
 22 Praeterea, opus esse specialis gratia & auxilio
 22 ne ad credendum; & Deum per Christum re-
 22 formare mentes hominum, & dare corda car-
 22 nes, amareque nos ac fidem dare, prorsus
 22 a nobis ametur, idque ex patris misericordia.
 22 Per hac veluti principia, si spectet studium con-
 22 tendendi, factis esset ad utriusque tantum. Sed
 22 grandis est Dominus, qui solus aperit mentes
 22 mortuum, ac & vobis animam det lucidam.
 22 eritis erantibus indolenter debent, & illis
 22 mentem ad id iustitiae reddat accommodari,
 22 quo, uno corde & spiritu, gloriam gratia
 22 ipsius ad multorum sedificationem deputaverit.
 22 Quae scripturas boni consistit, Domini & Pa-
 22 tris colendi. Commendamus nos & Ecclesiam
 22 nostras charitatis vestrae precibus, Datis vobis,
 22 Decemb. ann. Dom. 1771.

Magni Vrbis & Professoris Ecclesiae BERGOMENSIS
 in fide ac veritate Christi confiteor:

FINIS.

